Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1029
Quelle:
Copyright:

Editio.	Codex.
Pag. 199. omissum post: *super se constitutis,*	Fol. 7. *cum modestia et lenitate.*
200. *cum ipso agendum sit.*	8. *cum ipsa.*
201. *sicut multiplici.*	9. *Sicque.*
202. *in hoc opere proposuimus.*	*Praeposuimus.*

Initium porro Praefationis hujus est: *Quam grata sit ergo Deo Omnipotenti fides et humilitas atque modestia* &c. Excipit illam litera quadrata Epigramma, quod *Lazius* antepositit: *Rure morans flexo* &c. cujus sexto et ultimo Disticho nomen Autoris proditur:

Collectoris enim nomen si noscere quaeris.
Maurus *dicor ego. Tu sine fine uale.*

Disticho 4. *Lazius* male *Sordibus* pro *Sordidus.* Post hoc Epigramma habetur in *Codice* Elenchus XL. *Capitulorum*, quibus Opus definitur, quique ad amussim cum *Laziano* concordat. Tum *fol.* 11. p. 2. *Cap.* I. ita inchoat: *Scriptum est in Deuteronomio. Audi Israel quid dominus deus tuus petit a te* &c. Ultimum definit: *Expectantes beatam spem et aduentum gloriae magni dei et saluatoris nostri Ihesu Christi.* Est vero tota Tractatio cento paene perpetuus locorum S. Scripturae ad propositum conducentium et scite inter se nexorum, nec confundenda cum altera *Rabani de Vitiis et Virtutibus*, quae *Libris* III. constat, in edit. *supracit.* legitur T. VI. p. 125. a nobis exhibita est *Codd.* seq. et DCCC. et a *Fabricio* sive ejus Continuatore *Schoettgenio Bibl. med. Lat.* L. XVII. p. 27. perperam pro nostra praesente habita. Ad illam adludit fortasse *Rabanus*, dum sub finem *Praef.* nostrae scribit: *Plura jam in alio libello de eadem re excerpta vobis transmisimus.* Dixi supra, *Codice* nostro usum fuisse *Lazium*; video enim Editioni ejus partim praetextos partim subtextos *Versiculos*, qui nulla ratione ad *Rabanum* pertinent, in *Codice* vero nostro eadem prorsus ratione, manu tamen Seculi XII. scripti, Opus *Rabani* circumdant. Sunt illi acrosticha et telosticha Praefatio *Aldhelmi* in Librum suum *de Virginitate*, de quo *Cod.* DCXII. egi, hujus initii:

Metrica tirones nunc promant carmina castos &c.